

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

PALAZZO DELL CANCELLARIA
00120 CITTA DEL VATICANO

Prot. n. xxxx/19 CA
[DIOCESE]

Rescissio 11 is contractus

(Rev.dus M. [Name] - Congregatio pro Clericis)

DECRETUM

Rev.dus [Name] decreto Exe.mi Episcopi diei 1 iulii 2017 parochus paroeciarum [Parish 1] in pago v.d. [City], [Parish 2] in pago v.d. [City] et [Parish 3] in pago v.d. [City] nominatus est.

Die 25 maii 2018 Exc.mus Episcopus v.d. "commitment letters" ad parochos dioecesis misit, ut adnexum contractum de contributione ad expensas pacificae compositionis (v.d. *settlement*) inter Dioecesim [Diocese] et assertas victimas delicti contra sextum decalogi praeceptum subscriberent.

Die 20 iunii 2018 Exc.mus Episcopus Rev.dum [Name] certiore fecit maiorem partem paroeciarum iam invitationem secutam esse, sed eidem facultatem patere subscriptionem recusare. Die 20 iulii 2018 Rev.dus [Name] respondit paroecias suas ob calamitates naturales contractum subscribere non posse.

Litteris diei 23 iulii 2018 Exc.mus Episcopus Rev.dum [Name] et nonnullos alios parochos certiores fecit de ab iis ommissa subscriptione, et iterum facsimile v.d. *Promissory Note* adnexit.

Litteris diei 30 iulii 2018 Rev.dus [Name] se apud Congregationem pro Clericis de adhortatione Exe.mi Episcopi conquestus est.

Colloquio die 31 iulii 2018 apud advocatum civilem inter Exc.mum Episcopum, Rev.dum [Name], et quattuor paroecianos peracto, Rev.dus [Name] die 2 augusti 2018 et Exc.mus Episcopus die 7 augusti 2018 v.d. *Promissory Note* nomine paroeciae

[Parish 1] et D.nus [Name] utpote Praeses, scilicet v.d. *Diocese of* [Diocese] *Juridic Persons Capital Asset Support Corporation*, die 28 augusti 2018 subsignaverunt.

Voto Exe.mi Episcopi recepto Congregatio die 7 ianuarii 2019 petitionem Rev.di [Name] adversus assertam impositionem tributi a paroecia S. [Parish 1]

dioecesi solvendi et petitionem novae audientiae die 15 februarii 2019 reiecit.

Quam adversus responsionem negativam Rev.dus [Name] iam die 7 februarii 2019 ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal provocaverat.

Actis a Congregatione pro examine praeliminari exquisitis iisque receptis ac rimatis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

De praesupposito apud Congregationem perpenso quod:

- Litteris diei 20 iunii 2018 Exc.mus Episcopus Rev.do [Name] in memoriam revocavit, maiorem partem parochorum v.d. *Promissory Note* iam accepisse;
- Iisdem litteris Exc.mus Episcopus in facultate Rev.di Recurrentis v.d. *Promissory Note* respuendi institit;
- Nec litteris die 23 iulii 2018 ope cursus electronici missis Exc.mus Episcopus Rev.do Recurrenti quid praecepit, sed tantum opera persuasionis prosecutus est;
- Die 31 iulii 2018 apud officium advocati civilis solummodo colloquium inter Exc.mum Episcopum, Advocatum civilem Dioecesis, Rev.dum [Name] et nonnullos paroecianos peractum est quo Exc.mus Episcopus cum Rev.do [Name] communicavit, iam 90 paroecias contribuisse;

Cum nullus actus administrativus singularis, exempli gratia decretum vel praeceptum, sed tantum invitatio penes Congregationem impugnata fuerit;

De assertis violationibus legis in decemendo, perpenso quod:

- Sermo de violatione can. 1263 fieri nequit, quia paroeciae cum Dioecesi [Diocese] systemate vulgo dicto *corporation sole* connexae sunt;
- Ad tuenda bona paroeciarum Exc.mus Episcopus consensum scriptum parochorum expetiit, servata facultate consensum denegandi;
- Exc.mus Episcopus litteris diei 20 iunii 2018 expressis verbis asseruit non agi de tributo, quod argumentum Congregatio ergo merito accepit;
- In v.d. *Promissory Note* claris verbis indicatum est non agi de donatione, sed de

- mutuo dein die 1 septembris 2018 concesso et intra diem 31 augusti 2033 restituendo;

Cum proinde Congregatio recursum hierarchicum ob defectum praesuppositi scilicet actus administrativi singularis recte reiecerit nec adsit fumus boni iuris ob assertam violationem legis;

Praetermissis aliis quoque ad rem forte animadvertendis;

Audito Rev.do Promotore Iustitiae Substituto;

Vi art. 76, § 1, n. 3 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

Recursum in limine reiciendum esse et facto reici, utpote indubie atque evidenter quovis fundamento carentem.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra peremptorium decem dierum terminum ab eodem recepto (cf. art. 76, § 3 *Legis propriae* H.S.T.).

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 18 iulii 2019.

+/s/

Episcopus tit. Fundanus
Secretarius

/s/

vices Notarii gerens
